

agens de relativa gravitate peccatorum luxuria, scribit : " Hae species (contra naturam) sunt peiores quam reliquae supra dictae (juxta naturam), si considerentur qua parte sunt contra castitatem, non autem si spectentur absolute, ut involvunt malitiam alterius speciei contra justitiam, pietatem vel religionem : simplex enim pollutio vel inordinatus concubitus cum uxore non est absolute majus peccatum quam concubitus cum matre vel cum moniali. " Insuper in praxi non licet abstrahere a subjectiva malitia quae peccatum concretum semper comitatur. Hoc autem elemento saepe plurimum immutabitur judicium de gravitate peccatorum, qualia communiter fiunt, ferendum. Sic recte advertit Lehmk. (I. n. 870) subjectivam malitiam fornicationis saepissime majorem esse quam pollutionis malitiam, " quia et pudor multo magis exuitur et actus multo plus voluntarii habet ; quare in canonibus poenitentialibus constanter pro fornicatione major poenitentia injungi consuevit quam pro pollutione. "

161. QUAER. IV. Quomodo confessarius dignoscere possit in dubiis utrum poenitens, praesertim in peccatis internis, graviter an leviter peccaverit.

RESP. 1º Prudenter, pro poenitentis capacitate, interroget num habuerit illam plenam advertentiam plenumque consensum de quibus supra dictum est. Cfr. n. 156.

2º Si (ut crebro continget) responsa poenitentis dubium non tollunt, judicet secundum praesumptionem quam ei suppeditat reliqua confessio vel vita poenitentis.

3º Ne frustra vexet poenitentem interrogationibus quae certe intentum non assequuntur, ut cum poenitens rudis est et confessario ignotus. Neque ullum incommodum in eo est quod judicium hoc Deo relinquat, saltem ubi non agitur de periculo in futurum cavendo.

CAPUT III.

DE DISTINCTIONE PECCATORUM SPECIFICA ET NUMERICA.

162. In determinanda peccatorum distinctione quoad speciem et numerum, jugiter prae oculis habendus est scopus intentus ; nempe ut poenitens a confessario dirigi et adjuvari possit in servanda lege quam Christus, instituendo sacramentum poenitentiae, dedit confidendi " omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et

diligenti praemeditatione habeatur, et circumstantias, quae peccati speciem mutant. " (Trid. Sess. 14. can. 7) Cfr. Vol. II. n. 283 seqq. Minus ergo attendendum ad subtilem quasdam et metaphysicas distinctiones quae ab AA. quibusdam, rem practicam nimis speculativa ratione considerantibus, inventae sunt. Nam " dum Christus D^{nus} imposuit obligationem confidendi speciem et numerum peccatorum, utique voluit ut ea confileamus juxta sensum communem, non vero juxta illas metaphysicas distinctiones quae a sensu communi recedunt. " (Berardi, Praxis Conf. n. 37)

Tractabitur hoc argumentum in praesenti loco per regulas universales, quantum fieri poterit : multa vero quae difficultatem facessunt, praesertim quoad specificam distinctionem, opportunius in decursu Theologiae Moralis suo loco elucidabuntur.

§ I DE DISTINCTIONE SPECIFICA.

163. Communiter AA. triplicem regulam statuunt qua de peccatorum specificie diversa malitia judicetur. Licet autem controverti possit quae-nam ex illis sit magis generalis seu aptior formula ad casus omnes comprehendendos, practice satis constat singulas ad finem intentum utiles esse, et expedire ut, pro natura argumenti, nunc ad hanc, nunc ad illam recuratur. Cfr. Ball. P. n. 233. Sunt autem sequentes :

REGULA I. Peccata specificie differunt quando versantur circa *objecta formaliter diversa*. Cfr. S. Th. 1. 2. q. 72. a. 1.

In hac regula peccatum consideratur secundum entitatem positivam seu quatenus est actus humanus. Jamvero actus humani specie differunt secundum *objecta formalia*. (n. 34)

REGULA II. Peccata specie differunt cum opponuntur *diversis virtutibus*, ex. gr. fidei et spei, vel *eidem virtuti per extrema opposita* scil. per excessum et defectum, ut spei opponuntur praesumptio et desperatio, vel *officiis moraliter diversis ejusdem virtutis*, ut homicidium, furtum, adulterium, detractio, quae omnia adversantur justitiae, sed singula modo speciali et, e communi aestimatione, moraliter diverso eam virtutem laedunt.

REGULA III. Peccata specie differunt cum opponuntur *legibus moraliter diversis* seu quae ex motivo diversae virtutis latae sint.

Non sufficit ergo ut eadem lex feratur a pluribus legislatoribus, sicut ex. gr. adulterium lege tum naturali, tum ecclesiastica, tum civili pro-

hibetur; neque etiam ut idem objectum plures ab eodem legislatore ob eamdem formalem rationem praescribatur, ut ex. gr. recitatio divini officii duplice lege ecclesiastica praecepitur sacerdoti beneficiario: manet enim unum specifice peccatum talium legum transgressio. Sed oportet ut diversis libibus diversum honestatis motivum intendatur: unde redibit hoc distinctionis principium ad secundam regulam desumptam ex oppositione ad diversas virtutes vel moraliter diversa ejusdem virtutis officia. Ita sacerdos violando castitatem duplex specifice peccatum committit, quia luxuria ipsi lege naturali et divina, ex motivo virtutis castitatis prohibetur, lege autem ecclesiastica ex motivo religionis. Ita triplex specifice diversum peccatum facit qui die Dominica Missam praetermittit ad quam audiendam tenetur, non tantum communis Ecclesiae praecepte, sed insuper voto et juramento. Quamvis enim tres illae obligationes ex motivo religionis oriantur, inest tamen singulis diversa honestatis ratio, scil. praecepte Ecclesiae honestas cultus Deo deferendi, voto honestas fidelitatis Deo servandae, juramento honestas veracitatis divinae agnoscendae, ne Deus in falsi testimonium vocetur.

Insuper secunda regula ad primam reduci potest. Ut enim advertit S. Th. (I. 2. q. 72. a. 1): "Etiamsi (peccata) distinguantur secundum oppositas virtutes, in idem rediret; virtutes enim distinguuntur specie secundum objecta." Unde vix discrepant tres illae regulae; prima tamen magis ad fundamentum distinctionis specifice accedit quam sequentes.

Manifestum est peccata specifica distincta etiam numero esse plura. Quare in sequenti paragrapgo unice de peccatis specie non differentibus agetur.

§ 2. DE DISTINCTIONE NUMERICA.

164. Numerus peccatorum sine ulla difficultate agnoscitur quando occurrit unus actus cum uno objecto, vel plures actus quorum singuli objectum omnino ab aliis distinctum habent. Idem vero majore difficultate determinatur quando vel plures actus aliquatenus uniuntur, puta per unum finem ad quem tendunt, vel unus actus plura attingit objecta. Exemplo sint multa media ad unum hominem occidendum adhibita, explosio qua plures homines simul occiduntur, etc. De utroque casu singillatim agemus. Cfr Gury, I. n. 162; Lehmk. I. n. 241 seqq.; Ball. P. n. 244 seqq.

I. De distinctione quae desumitur ex actuorum pluralitate.

Quo accuratius haec distinctio determinetur, distinctas regulas statuimus de peccatis mere internis seu nullum respectum ad executionem

externam involventibus, de peccatis internis per propositum ad externam executionem tendentibus, de peccatis externo actu completis.

REGULA I. *Actus mere interni* multiplicantur quotiescumque homo se ab actu pravo, ex. gr. odii, desperationis, contraria voluntate retrahit et postea ad eundem redit; insuper quotiescumque, etiam sine tali retractatione voluntatis, tantum intervallum inter varios actus intercedit ut hi non tantum physice, sed et moraliter interrupti censeantur. Sic unum foret peccatum si quis de rebus turpibus cum delectatione cogitans pauca verba cum transeunte misceret et statim ad turpia volvenda rediret; duplex peccatum, si ad eadem rediret post longam collocutionem quae mentem prorsus a turpibus avocasset.

Prudenti arbitrio potius quam regula generali determinandum est quandonam interruptio ut *moralis* habenda sit. Potest autem, ut adverbit Lugo (de Poenit. disp. 16. n. 569), similitudo admitti cum peccatis externis. Sicut in contumelia, unum censetur peccatum quando in eodem congressu successive multiplicantur convicia, ita unum peccatum internum, ex. gr. delectationis morosae, censendum est, quando objectum perseverat nobis praesens moraliter, quia non habuimus animum discedendi ab ea cogitatione, sed casu et naturali aliqua distractione interrumpitur: censetur enim quasi unus moralis congressus cum objecto. E contra novus quasi congressus cum hoc objecto habebitur et multiplicabuntur peccata, quando voluntarie nos ad alia convertimus. Regulariter autem, ut opinatur Lugo (l. c. n. 570), ultra duas vel tres horas non perseverat moraliter eadem voluntas mere interna.

Si poenitens (ut saepe contingit) numerum peccatorum internorum dicere nequit, puta quia diu iis haesit, sufficit ut explicet, quanto tempore in hoc pravo animo perseveravit. Insuper manifestare debet utrum interruptiones morales fuerint notabiliter rarae an frequentes. (S. Alph. I. 2. n. 37) Hoc ultimum tamen lata mensura accipendum est et potius ut inquiratur num interruptio per dies, hebdomadas vel menses duraverit: res enim melius ex indole personae et materiae ceterisque circumstantiis quam e responsis eruetur. (Ball. P. n. 288) Igitur, ubi moraliter nequit clarius res determinari, sufficeret dicere ex. gr.: "Per unum diem Petrum gravi odio prosecutus sum; per unum mensem puellam turpiter concupivi."

165. REGULA II. *Actus interni qui per propositum ad externam executionem tendunt*, ex. gr. ad furtum vel adulterium, multiplicantur formaliter vel implicita voluntatis retractatione, ex. gr. amice excipiendo eum quem ex odio occidere intendebas; insuper, notabili temporis intervallu inter varios actus. Quantum autem hoc intervallum esse debeat,

una regula definiri nequit : plurimum enim pendet tum a natura peccati quod proponitur exsequendum, tum a natura occupationum quae interim assumuntur. Ita propositum furti patrandi non censetur interruptum per somnum vel ordinarias occupationes, quae propter hujusmodi proposita omitti non solent; plerunque per unius horae intervallum censembitur interruptum propositum legendi pravum librum, quia juxta communiter contingentia, eo tempore dilabi et cessare solet. (Ball. P. n. 294)

Facile per longum tempus unum propositum durare potest, quando nempe intenso affectu, ex. gr. odii vel vindictae, aliquis, etiam per menses, de mediis propositi exsequendi cogitat, exsecutionem autem ad tempus magis opportunum differt, praesertim si opus externum aggressus est, ex. gr. occasiones vindictae quaerendo, insidias struendo, etc. Quare nimis absolute videtur scripsisse S. Alph. (l. 2. n. 39) " impetum unius actus difficulter posse protrahi (ordinarie loquendo) plus quam ad duos vel tres dies ad summum. " (Ball. P. n. 295 seqq.)

Ita unum peccatum committit qui, etiam per integrum annum, perstat in voluntate non restituendi, licet saepius iteret propositum pergendi in mala voluntate semel elicita. Idem dicendum de proposito non adimplendi aliquam obligationem perpetuo urgentem. (S. Alph. n. 40; Ball. P. n. 302 seqq.)

166. REGULA III. *Actus externi* multiplicantur quotiescumque singuli habent objectum moraliter completum seu nequeunt in unum peccatum moraliter sumptum reduci.

Jamvero actus physice plures in peccatum moraliter unum reducuntur :

1º Eo quod in unam principalem actionem velut in finem diriguntur. Sic qui, intendens copulam habere cum muliere, eam turpiter alloquitur, osculatur, tangit, immediate ante vel post copulam, hanc tantum in confessione accusare debet. At qui initio nonnisi tactus in honestos intendebat, postea vero, libidine incitatus, copulam consumavit, tactus tamquam peccata a copula distincta confiteatur oportet. Similiter dicendum de eo qui initio intendit tantum vulnerare inimicum, quem postea odio incitatus, occidit. (S. Alph. l. 2. n. 43) Haec tamen intentionis immutatio extraordinaria est : quare de hac passim interrogare non debet confessarius.

Liquet tamquam peccata distincta confitendas esse actiones in se graviter malas, ordinatas quidem ad finem principalem ex intentione agentis, sed natura prorsus diversas, ex. gr. incendium patratum ut inimicus igne pereat. Quae enim ita disparata sunt, moraliter unum efficere nequeunt.

2º Eo quod plures actus ejusdem speciei ex uno impetu passionis procedunt, puta si quis ex eodem impetu pluries percutit, in honeste-

tangit, blasphemat, conviciatur. Non unirentur tamen actiones quae terminum suum completum singulae haberent, ex. gr. si quis plures eadem nocte cum femina copulam perficeret. (S. Alph. n. 46, II)

167. QUAER. Quid in confessione accusandum sit quando peccatum coepit quidem exsecutioni mandari, sed *ad consummationem non pervenit*, sive ob retractatam voluntatem, sive ob aliquod impedimentum.

RESP. Si media adhibita in se indifferentia sunt, ex. gr. domum ingredi ad fornicandum, non videntur explicanda : nam quidquid mali in iis mediis fuit, satis exprimitur in ipso proposito quod poenitens confiteatur. (Ball. P. n. 311) Sin autem media, in inchoata exsecutione adhibita, per se peccata gravia efficiunt, ex. gr. tactus praevii ad copulam quae consummari non potuit, communis sententia tenet ea distincte confitenda esse. Plures tamen (D'Annib. I. n. 287. nota 15; Piatus, nota ad Princ. Theol. Mor. P. Van der Velden, I. p. 150) opinantur sufficere ut poenitens dicat se voluisse ex. gr. fornicari et quaedam media jam adhibuisse, rem autem perficere non potuisse. Ratio sane probabilis est : non percipi quomodo peccata quae moraliter unum efficiebant, propter interruptionem, plura esse incipient.

168. II. De distinctione quae desumitur **ex objectorum pluralitate**.

Quando unus actus sive internus, sive externus ad plura objecta totalia terminatur, ex. gr. unus actus odii adversus decem homines, unica explosio qua decem occiduntur, duplex datur sententia probabilis.

Prior tenet, cum S. Alph. (l. 2. n. 45), peccata tunc multiplicari in ordine ad confessionem, ideoque explicandum esse numerum illorum objectorum totalium. Potissimum rationem S. Alph. censet : nihil obstare quominus idem actus includat malitias numero diversas contra eamdem virtutem, ut patet exemplo conjugati copulam habentis cum conjugata. Nemo enim negat illum committere duplē in justitiam, unam qua violet jus suae uxoris, alteram qua cooperetur ut complex violet jus sui mariti.

Posterior, quae probabilius videtur, negat in eodem casu multiplicari peccata. Ita Lugo (de Poenit. disp. 16. n. 135 seqq.) cum Suarez, Strugl etc. Hi praesertim isti ratione innituntur : quaestionem hic non esse num huic peccato insint plures malitiae, sed num illae in confessione, juxta legem divinam a Tridentino expressam, sint distincte accusandae. Jamvero huic legi plane satisfit etiamsi non distincte accusantur omnes malitiae : nam etiam in tali confessione nullum peccatum manet non explicatum quoad suam speciem, et aliunde dicitur totus numerus peccatorum : numerum autem malitiarum esse accusandum nullibi statutum est. Nempe verba Tridentini *omnia et singula peccata stricto*

sensu sumpta (quo certe in lege valde onerosa sumantur oportet) significant tantum actus humanos malos, *formaliter*, non autem *aequivalenter* plures, seu singulas malitias unius actus humani.

Nihilominus notat Lugo (l. c. n. 141) *regulariter* in praxi explicandum esse numerum personarum in multis hujusmodi peccatis, saltem sub aliqua generalitate confusa significante pluralitatem, dicendo ex. gr. *occidi plures homines*, *desideravi fornicari cum pluribus feminis*, eo quod audiendo *feci homicidium*, *desideravi fornicationem*, confessarius intellegere occisionem unius hominis, fornicationem cum una, et consequenter aliud peccatum quam quod revera factum est. Procul dubio distincte essent explicandae malitia specificae quae e pluralitate objectorum unius actus orirentur, ut si quis desideraret occidere plures inter quos essent pater ejus et sacerdos. Tandem notandum non esse moraliter unum peccatum plures actiones vel omissiones *externas* quae ad invicem non ordinantur, licet ex uno voluntatis actu procedant. Sic plura certe peccata committeret qui vellet non recitare officium per totum annum et id postea exsequeretur, vel meretrix quae, ex voluntate semel elicta se exponendi omnibus, cum multis fornicaretur. (Lugo, l. c. n. 546) Hinc :

1º Qui unico actu laesit famam totius familiae vel communitatis satisfacit dicendo : *Detraxi alicui familiae vel communitati*. Cendum tamen ne tamquam unicus actus habeatur confabulatio in qua ter diverso modo tribus personis detractum sit.

2º Qui unico actu scandalum praebet pluribus, eorum numerum explicare non debet.

3º Qui unico actu famam alicujus apud plures laedit, eorum numerum explicare non debet. Hoc sentit etiam S. Alph. (n. 49), quia haec est tantum circumstantia aggravans, cum jus ad famam sit unicum apud omnes. Quae ratio, ut recte advertit Ball. P. (n. 270), probat sufficere ut dicatur *detraxi graviter vel leviter*, nec requiri ut addatur *coram pluribus*, sicut ponit S. Doctor.

N. B. Haec benignior sententia praesertim juvabit confessarium ne se existimet obligatum ad interrogationes molestas de talibus numeris.

CAPUT IV.

DE PECCATIS INTERNIS.

169. Licet jam supra (n. 164) quaedam de peccatis mere internis statuta fuerint, hic tamen plura de hoc aequa difficultate practico argumento addenda sunt.

Plerique AA. recentes cum S. Alph. (l. 2. n. 15) inter peccata quae

interius animo et voluntate admittuntur triplicem classem distinguunt : desiderium, gaudium, delectationem morosam.

Desiderium est actus voluntatis quo quis deliberate intendit opus cogitatum, puta fornicationem, consummare : respicit ergo tempus futurum. Desiderium dicitur *efficax* quando elicetur propositum absolutum rei malae, *inefficax*, quando elicetur volitio condicionata seu parata ad rem malam exsequendam, si verificaretur condicio, ex. gr. : *Si possem furari thesaurum ecclesiae, furarer.* (S. Alph. l. c.)

Gaudium est deliberata complacentia in malo opere patrato : respicit ergo praeteritum.

Delectatio morosa est deliberata complacentia in objecto malo cogitato, fruendo ejus dulcedine, absque desiderio exsecutionis : respicit tempus praesens. Vocatur *morosa* non a mera temporis, cum momento possit perfici, sed quod voluntas, post plenam advertentiam rationis, ei immoretur. (Bus. ap. S. Alph. n. 11)

Haec triplex partitio rebus moralibus tractandis apte congruit, quamquam non plane cum philosophicis notionibus convenit. Nam, ut habet S. Thomas (l. 2. q. 31. a. 3), gaudium "non habet locum nisi in delectatione quae consequitur rationem... unde de omnibus de quibus est delectatio, potest esse gaudium in habentibus rationem." Hic vero a notione gaudii excludimus delectationem *rationalem* de objecto praesenti, non excludimus delectationem *sensibilem* quae saepe ad rationalem consequetur.

Agemus simul de desiderio et gaudio, quorum reatus iisdem regulis determinatur, dein sejunctim de morosa delectatione.

§ 1. DE DESIDERIO ET GAUDIO.

170. PRINCPIA. I. *Desiderium efficax* et *gaudium* habent eamdem malitiam peccati mortalem vel veniale quam habet actus exterior in quem feruntur.

Ratio est, quod per utrumque voluntas tendit in actum externum tamquam in objectum quod approbat in exsecutione futura vel praeterita. Necessario igitur fertur in ea omnia quae novit cum existentia objecti esse necessario conexa. Ita, si quis desiderat copulam habere cum femina quam novit esse matrimonio vel voto ligatam, necessario contrahit malitiam non tantum fornicationis, sed adulterii vel sacrilegii : hae enim circumstantiae separari nequeunt ab opere in quod voluntas fertur. Cfr. n. 41.

II. *Desiderium inefficax* pariter induit malitiam objecti quando condicio sub qua elicetur malitiam non tollit. Ratio est, quod tale desiderium